

modo, sed & perfectissimum, dum ostendit (a) *Subiectum actuum*, vel *Doctorem ipsum*; me, dicit Paulus: optimè si- quidem docetur *Pansophia*, si *docens* ipse primum sit *Pansophos*: nam quod quisque parum novit, nemo docere potest: Paulus, h. l. fit prius *Pansophos*, & veram Christianam *Pansophian* primum ipse intellectu suo concipit, memoria fir- miter inscribit, corde custodit, perfectoqve iudicio colla- tionem convenientem instituit, ut eam mox suis audito- ribus eò facilius, eò commodius, eò felicius, eò con- stantius instillare, vereqve communicare possit. (b) *Objectum*, non aliquid, vel nihil, est universale negativum, quod respicit universale positivum, vel affirmativum, nimi- rum *Totum*, & *Omne*, ut hac ratione *totale*, vel *omnimodum* & *universale Pansophias Christianae* objectum sit *Jesus Chri- stus crucifixus*, vere tantum *unicum*, *perfectum*, *solita- rium*, ac *adequatum*. Nam à quo reliqua cuncta simpli- citer, sine quavis, minima quamlibet, *admissione*, prorsus excluduntur, illud ut sit *objectum unicum*, *solitarium*, *perfectum*, & *adequatum*, necessum est. (c) *Pansophias a- ctum*, qui consistit in τὸ εἶδεναι, quod omnem *scientiae* & *sa- pientiae modum*, atqve *statum*, ut & *actum* plenariè comple- ctitur, & hoc loco pro τὸ credere supponitur. Cum *Pan- sophia Christianorum* sit *fiducia*, *plerophoria*, & *parrhesia*; & *alias scire*, vel *cognoscere*, juxta *Spiritus S. phraseologiam*, idem est, quod *credere*, Es. LIII. II. Job. XVII. 3. & c. (d.) *Pansophias Christianae scopum*, atqve *gymnasium*, & dicitur *Ecclesia Corinthiorum*, vel etiam alia quævis *Christia- norum Ecclesia*, quæ nihil aliud *S. Spiritus officina*, vel *Apostolica Cathedra*, dum in illa, vel ex hac, Paulus, instar *Pansophi- ci Professoris*, sub magisterio sui *Principalis Pansophian*, *Christinnam* ad salutem fidelium ex officio proponere, vel exponere debuit,